

Q. B. V. 2

SPECIMEN ACADEMICUM

DE

SYNCRETISMO PHILOSOPHICO,

Quod

CUM CONSENSU AMPLIS. FACULT. PHILOS. IN REGIA
AD AURAM ACADEMIA

PRÆSIDE,

MAG. CAROLO MESTERTON

LOG. & METAPH. PROFESSORE REG. & ORDIN.

Facult Philos. h. t. Decano

PUBLICO BONORUM EXAMINI SUBMITTIT

CAROLUS JERFVELIN,

BORGOA-NYLANDUS.

In auditorio Acad. Aboëns. maximo
ad diem XVI. Junii H. A. M. S. MDCCL.

ABOÆ,

Excud. JOH. KÆMPE, Reg. Acad. Typogr.



S:æ R:æ M:tis
MAGNÆ FIDEI VIRO,
Reverendissimo Patri ac Domino,
**D^N. JOHANNI
NYLANDRO,**

Dioeceseos Borgoënsis

EPISCOPO

Consistorii ibidem

PRÆSIDI

Gymnasilii Scholarumque

EPHORO

Eminentissimo Gravissimo Adcuratissimo

MÆCENATI SUMMO.

Opusculum hoc levidense, in grati animi testimonium, & submissa venerationis documentum, ob insignem favorem, summa animi submissione, dat, dicat & consecrat

REVERENDISSIMI NOMINIS TUI

Humillimus Cliens

CAROLUS JERFVELIM.



Kongl. Maj:ts Tro: Tjenare och Capitain wid Nylands
Cavallerie Regemente

Wålborne **SEXX**

GUSTAF SILFWERSWAHN,

Höggunstige Gynnare.

Ärtiligen framter sig den dagen på hwilken jag får tillfälle, at i liuset framhafwa och för Edra högon Wålborne Herre, ställa den högachtning och wördnad, som hittills uti mit sine fördold legat. Eder har behogat Wålborne Herre, alt istån den tid jag hade äran at så wistas uti Edert förnäma hus, med besynnerlig Höggunst och ynness mig omsamna; hwarföre jag ständigt både skal och bör wörda en sådan hög gunst, samt wid alla tillfällen wisa den högachtning mit inra huser för en så stor Gynnare. I anseende hwartil jag och fördristar mig at upoffra Eder Wålborne Herre, detta mit första Academiska arbete, ödwilket anhållandes at det gunstigt må blifwa uptagit, och at samma höga gunst och ynness som Wålborne Herren härtil mig bewist, än framdeles må mig wedersaras. Hwaremot min innerliga önskan altid skal wara, det den Högsta måtte förinna Wålborne Herren med hela förnäma Huset så mycken lyfsalighet som mit inre ouphörligen af den Högsta skal utbedia.

Wålborne Herr Cpitains

Hdmilfaste tjenare

CAROLUS JERFVELIN.

Commissio Viro Perquam Reverendo atque Doctissimo,
Dn. ANDRÆ HERM. GYLLING,
Comministro in Pargas laudatissimo, Patruï loco colendo
suspiciendo.

Tibi Patruë honoratissime cui prolixè obstrictus sum ob multa
favoris & benevolentiae documenta, primitias hæcè quales-
cunqve studiorum, in signum debitæ observantiæ, nec non spem
ulterioris favoris cum calidissimo voto pro tua tuorumqve perenni
incolumitate & flore devoveo.

Nominis Tui Observantissimus cultor
CAROLUS JERFVELIN.

Handelsmannen uti Borgå, Sögwälactad
Herr JOHAN WULFRAT,
Min käresta Fader.

Edra min käresta Fader emot mig wista kärleks och wälwilfog-
hets prof, äro så många at jag dem ej hinner eller kan uprä-
kna. Ty då jag uti mina ännu unga och späda barna är mi-
ste min kära Fader, antogen & min huldasta Fader, efter Guds
besynnerliga sticelse, hans rum så, at Eder Faderliga omsorg
utplånade all hogkomst af den förra olyckan. & min käresta Fa-
der hafwen intet underlåtit at meddela mig mogna råd, jämte tro-
gnaste förmaningar at fliteliga öfwa mig i dygd och böknett. Ej
heller hafwen & min Fader spare dertil nödig kostnad. Men som
hos mig ingen ting finnes hwarmed jag alt detta kunde wedergäl-
la, beder jag ödmjukeligen, at & min käreste Fader gunstigt ansen
denna min första lärospån, hwilken jag Eder til prof af er ärkän-
slosult och tacksamme sinne upostar. För öfrigt skal jag så länge
jag lefwer uti et wördsamte minne behålla Edra wälgierningar samt
anropa den milda Guden at han wille förlåna mina kära För-
äldrar mycken sälhet, och låta Eder annalkande älderdom äga
den grönskande äldrens kraft, förmågo och hälsa, samt bekröna
Eder med all sälhet, hwilket änskar

Min käreste Faders Iydigste Son
CAROLUS JERFVELIN.



§. I.

Qui de Syncretismo Philosophico non nulla
Commentari propotui, apprime duxi necessari-
um, quid sit Syncretismus in genere pramitte-
re. Syncretismi vocem a Cretensibus proflu-
xisse notissimum est. Illi enim cum nullum haberent
hostem externum, mutuis se invicem bellis lacerarunt,
externo vero hoste eos invadente, ad commune pericu-
lum propulsandum vires mox conciliaqve consociabant.
A re militari, primum ad res Theologicas, deinde &
Philosophicas, doctorumqve virorum aliorum sententias
inter se conciliare annitentium studia vox ista transla-
ta est. In rebus Theologicis hac voce primum usum
fuisse Pareum in Irenico suo, sufficiat notasse. Variæ
hujus vocis sunt significationes, primo namqve Syn-
cretistarum nomine veniunt, qui dissentientes toleran-
dos ferendosqve Svadent, indignum nomine Christia-
no arbitantes ideo odio aliquem prosequi, quod di-
versam a nostra foveat sententiam. Sed & hi non u-
nius ejusdemqve generis sunt. Etenim quidam do-
cent omnes dissentientes quæcumqve demum foveant
opinionem esse tolerandos. Alii contra quosdam. Sunt
etiam qui tolerantiam ideo svadent, ut Cretensium mo-
re,

re, animi & arma conjungentur. Sunt qui idem in votis habent, ut rerum publicarum tranquillitati & quieti ita consulatur. Ast sunt etiam qui ideo in hanc sententiam pedibus eunt, quod veritas in abscondito lateat omnisque opera quæ in aliorum erroribus redarguendis aut dissentientibus convincendis insumitur pereat fructuque omni destituatur. Denique nonnulli, quod omnes homines sintero tenerrimoque amore ex Christi præcepto prosequantur, religioni sibi ducunt insurgere contra eos, qui diversas mente de quibusdam dogmatibus conceperunt opiniones. Altera vocis significatio non ad tolerantiam sed ipsam dogmatum aut sententiarum conciliationem pertinet. Namque quibusdam non satis est, tolerare dissentientes, sed in eo omnem operam collocant ut ostendant eorum non discrepare sententias sed unum idemque eos docere quamvis revera dissentiant, aut in omnibus aut præcipuis, saltem ipsis principiis, atque hos præcipue Syncretistarum nomine nunc indigitamus. Cum vero reperiantur homines qui in omnibus Divinæ humanæque eruditionis partibus hoc conciliationis officio fungi voluerunt, posset iste Syncretismus in Criticum, Theologicum, Juridicum, medicum, ac philosophicum dispesci. Nos vero de ultimo illo sive philosophico in præsentis opusculo agere modo constituimus. interim Te B. L. rogamus, velis ea quæ circa nobilem hanc materiam proferre valemus æqui Bonique consulere.

§. II.

Cum quidam Philosophos cum Scriptura Sacra, alii vero Philosophos inter se conciliare aggressi sunt, eos in duas classes dispescere possumus. Quod ad priores attinet, primum forte locum inter illos vin-

prio-

dicabunt sibi Hermetici atque Chymici. Horum vero nonnulli, ut ostendant cum Physiologia Mosaica accurate sua dogmata convenire, eo usque progrediuntur, ut mundum a Deo Chymica quadam ratione productum asserant. Hos exipiunt autores Christiani primitivæ Ecclesiæ, quorum quidam Platonem seqvabantur, alii Porticum redolebant, nonnulli Pythagoræ præcepta plurimi faciebant, utque vel auctoritati horum suorum præceptorum consulere, vel etiam reliquos gentiles ad fidem Christianam perducerent, dogmata eorum conciliare cœperunt cum Scriptura Sacra. Sufficiat ex multis unicum adducere Clementem Scilicet Alexandrinum, is ideas Platonicas, materiei æternitatem, continuam & æternam mundorum successionem ex Scriptura Sacra confirmare annititur. Sed nec desunt ex recentioribus qui hoc ipsum aggressi sunt. Præcipuus autem eorum fuit Cardinalis Bessarion qui in libro quem contra calumniatorem Platonis Scripsit, non diffitetur speciem quandam nostræ religionis in Platone fuisse, Platonemque in multis cum Scriptura Sacra consensisse. Præter hunc, Livius Galantus viginti libros conscripsit, sub titulo Christianæ Theologiæ cum Platonica comparatio.

§. III.

Cum vero Platonis autoritas in Scholis decrescere Aristotelis autem acrescere cœpit, in eo omnibus viribus incumbabant asseclæ, quo, vel ejus perennitati vel auctoritati prospicerent, ut eum cum Scriptura Sacra convenire ostenderent. Eos numero multos fuisse testatur tam Theologia quam Philosophia Scholastica, qui nihil aliud est quam confusum Chaos ex permixtione Scripturæ Sacræ & Aristotelis ortum

A 2

du.

ducens. Thomas de Aquino ceteris viam praeivit, quæ Aristoteles verba haud raro ad Ecclesiam vel tolerabilem sensum trahit teste Joh. Bapt. Crispo. Fuerunt etiam nonnulli qui, dispersis jam tenebris Scholasticis, placitis philosophi nimis addicti, ad conciliandum hunc cum Scriptura Sacra iterum animum adiecerunt. Eminent inter hos Joh. Zeisoldus in Jenensi quondam Academia Professor haud incelebris, is in Tractatu de Aristotelis in illis quæ ex lumine naturæ innotescunt, cum Scriptura Sacra consensu ab eoque apparente sensu, id maximo Studio agit ut ostendat Aristotelem tam in Theologia naturali quam Physiologia ea Tractare quæ Scripturæ Sacræ consentanea sunt. Hinc contendit eum jam suo tempore docuisse quicquid Theologi de Dei infinitate omnipræsentia ceterisque attributis docent:

Nec ignorasse, quæ de Angelis proferunt, quia libro VI. Meth. dicit, oportet sane esse substantias immateriales actu. Immo intrepide affirmare ausus est Aristoteli non tantum creationem mundi cognitam fuisse, verum etiam quemadmodum a Mose Gen. I. capite describitur.

§. IV.

Praeter Platoniceam atque Aristotelicam celebres olim maxime fuere Secta Epicurea atque Stoica. Prior illa cum dogmata impiissima & Scripturæ Sacræ e diametro adversantia in se contineret, paucos inter recentiores habuit, affectas, & nemo quidem, quantum notum est hanc cum Scriptura Sacra conciliare aggressus est, præter nonnullos Neo-Epicureos qui vestigia doctrinæ atomorum in Mose quarere non dubitarunt. Posteriores illam seu Stoicam quod attinet, illam mul-

multos habuisse conciliatores vel exinde concludi posse existimaverim, quod multæ hæreses inveteri Ecclesia ex Stoicæ Philosophiæ cum religione Christiana commixtione ortum duxerint. Unicum tantum hujus conciliationis afferam exemplum. Quis nescit quantam adhibuerat curam Justus Lipsius in hac Philosophia ordinanda atque polienda. Cum vero deprehenderet illam dogmata quædam ejusmodi in se continere quæ a religionis Christianæ indole plane abhorrent; remedium huic malo invenit, effataque Stoicorum in mitiorem sensum trahit. Sic fatum illud Stoicum impietatum Sentinam Lipsius ab ipsa providentia non differre, intempestivo conciliandi Studio abreptus, afferit. Inter recentiores Philosophos Sectarumque conditores eminent Renatus Cartesius, qui Multos & Sectatores & adversarios nactus est. Hi ad invidiam novæ huic Philosophiæ confidam, nunquam non clamitant, nova eam alere monstra, mox eruptura, & eadem haud temere reparandam religioni Christianæ illatura, immo eam Scripturæ Sacræ refragari e diametro. Jam intellexerunt sectatores Cartesii ad istas criminationes repellendas sua interesse, ut evincerent eum Scriptura Sacra quam optime conspirare novam hanc Philosophiam. Unicum tantum autorem Physiologiam Mosaicam cum Cartesiana conciliare annitentem in medium sistam. Est is Johann. Amerpæl, edidit ille librum titulo, Cartesius Mosaicus, sive evidens & facilis conciliatio Philosophiæ Cartesii cum historia creationis, primo capite Geneleos per Mosen tradita. In quo libro totum caput percurrit, Mosenque cum cartesio bellissime convenire ostendere conatur. Postea adhuc multa dicere de Guilhelmi Wistonii nova Tel-

6
Telluris theoria, ut & Thomæ Burnetti viri doctissimi, Telluris Theoria Sacra & Archeologia Philosophica, eaqve convenientia quam uterqve cum Geogonia Mosis sibi pollicetur; Sed non vacat nobis in hæc inquirere prolixius, ad alia jam Properandum est. Ex hac Scripturæ Sacræ cum Philosophorum Placitis commixtione, non potuit non duplex oriri incommodum. Primo namqve Scripturæ Sacræ verum & genuinum sensum haud raro perverterunt: deinde etiam philosophorum eorum sensum depravarunt ad Scripturam Sacram Philosophiam eorum inflectendo.

§. V.

JAm pervenimus ad conciliatores Philosophorum inter se. Quamvis Chemicorum philosophandi ratio ab aliarum sectarum multum differat, non tamen defuerunt qui illos cum aliarum Sectarum Philosophis in concordiam vocare, annisi sunt. Sic Hypocratem Chymicum Otto Tachenius Scripsit. Quamvis Sennertus de Chymicorum cum Aristotelicis & Galeno consensu & dissensu se commentaturum esse promiserat; tamen hoc ipso aliorum in se provocavit calamos, qui eum Chymicorum principiis nimis indulgisse, tanqve infeliciter Aristotelicos & Galenicos cum Chymicis conciliasse contendebant, ut Aristotelicæ atqve Galenicæ doctrinæ fundamenta potius everterit. Inter Græciæ Philosophos Platonicus, Aristotelicus, Epicureus atqve Stoicus maxime celebres fuere & de palma sepius inter se contenderunt. Neminem licet scimus qui quatuor hæc Sectas conciliare tentarat: quamvis de Platoniorum Aristotelicorum & Epicureorum ipsorumqve Chymicorum consensu in principiis rerum naturalium commentatus sit Joh. Bapt. du Hamel, & Antonius Aschalonita primus ille Aristotelis

7
telis atqve Platonis conciliator, Stoicos etiam in concordia hujus Philosophicæ Societatem admicerit, non tamen defuere qui quosdam horum conciliare aggressi sunt. Epicureos atqve Stoicos qui maxime distare videbantur in concordiam vocare multi laborarunt. Inter recentiores hoc ausus est Bernhardus a Malincrot, in discursu de summo hominis bono, cujus in frontispicio proficitur præcipuam sibi curam fore, ut Stoicos & Epicureos qui vel maxime omnium diffidere putentur conciliaret. Id quidem observamus Stoicorum cum reliquis imo ipsis Epicureis conciliationem non tam difficilem esse ut quidem videri possit, cum Stoici, uti eruditus observatum est fuerunt verborum captatores.

§. VI.

Platonem atqve Aristotelem quod attinet, fuerunt illi Scholarum sibi invicem admodum repugnantium autores, eos tamen non obstante hoc, per plurimi in concordiam reducere annisi sunt. Primus itaqve uti jam §. præcedenti dictum est Antiochus Aschalonita fuit quem ambitio ad hoc faciendum coëgit, quo is dein novæ sectæ auctor haberetur. Platoniorum tamen quibusdam hæc utriusqve Philosophi conciliatio ita displicuit, ut scriptis eam quoqve impugnant. Sic Articus quidam qui sub Nerva vexisse legitur de Platonis atqve Aristotelis dissensu multa disseruit. Taurus qui vixit tempore Antonii Pii de differentia Platonis & Aristotelis librum scripsit, & alium de discrepantia Platoniorum & Stoicorum, unde colligere possumus fuisse etiam eo tempore qui & hos inter se conciliare allaboraverint. Adversus Taurum quidem disputavit Plotinus de Platonica & Aristotelica Philosophia concordia, cui accedit autor vitæ Aristotelis qui

differte negat Platonem contradicere Aristotelem. Porphyrius qui erat Plotini discipulus septem libris confirmare conatus est unam esse Platonis atque Aristotelis Sectam. Cicero primus inter Latinos Syncretismi hujus Philosophici auctor haberi potest. Boëtius etiam de Platonis & Aristotelis concordia se scripturum innuit. Per Barbararum gentium incursionem summa rerum omnium ignorantia, & densissima caligo orbem Christianam invasit: ea vero utcumque dispelli cœpit, cum infelici fato Theologia atque Philosophia Scholastica caput erigeret. Floruit tamen ea ætate Bernhardus Carnotensis qui itidem Peripateticæ atque Platonice Scholæ Syncretismum propagare instituit, paucos tamen nactus approbatores. Scholasticos omnes fuisse Aristotelicos omnibus notum esse existimamus, quo factum est ut Platonis existimatio eo tempore imminuta fuit donec renascentibus bonis literis, nonnulli fuere qui Platoni pristinam reddere dignitatem conati sunt, eumque Aristoteli præferre nulli dubitarunt, reclamantibus magnopere Aristotelicis. Tum novis conciliationibus data fuit occasio. Johannes enim Picus Mirandulæ concordieque Comes, in famosis illis thesibus inter alia paradoxa hoc etiam defendendum suscepit, nullum esse quæsitum naturale aut divinum in quo Aristoteles & Plato sensu & re non convenient quamvis verbis dissentire videantur. Imo librum quoque scripsit de concordia Aristotelis cum Platone. Huic a nonnullis adjungitur Paulus Schalichius & Franciscus Cataneus Jecetius quorum tamen opera cum ipsis conscripta & tenebris tradita sunt. Eidem porro labori inhæserunt Symphorianus Camperius Lugdunensis Gallus in signis medicus, qui de Platonis cum Aristotele

Sym-

Symphonia commentatus est, & Sebastianus Hispalensis qui de consensu Platonis & Aristotelis in ea Philosophiæ parte quæ de natura est librum reliquit. Caterum refert Franciscus Piccolomineus multos sua ætate in Italia extitisse horum Philosophorum conciliatores, quibus Jacobus Thomasius ipsum Piccolomineum addit, quippe qui dicere solebat, *Platonis & Aristotelis Philosophiam duos quasi oculos humani aciem intellectus dirigere quorum alterutro si quis careat cyclopi instar in hac rerum universitate cum labi necesse sit.*

§. VII.

Exemplum ejusmodi conciliationum Aristotelis cum Platone ex Sebastiani Foxi Morzilli Hispalensis de natura Philosophiæ, seu de Platonis & Aristotelis consensu libris quinque afferre lubet. De natura ipsa disputatum jam pridem inter Philosophos fuit nec spes ulla litis finiendæ affulget. Et Platonem quidem Foxius observat, naturæ voce ipsam animam mundi significare, quæ cum singulis rebus sit indita, vim quandam agendi illis tribuat. Aristoteli autem dicit naturam esse vim intimam rerum singularium quæ ipsæ sponte aut moventur ad generationem, interitum, alterationem ceteraque motionis genera, aut plane quiescunt & consistunt in essentia jam adepta. Has duas sententias sequentem in modum conciliare annititur. Consentire Plato atque Aristotelici videntur dum mundi animam nominant naturam. Idem enim est naturam rerum singularium initium mutationis & constantiæ eandem nominare, atque a mundi anima vim hanc rebus insitam participatione quadam ortam existimare. Ast dubito profecto an auctor ipse intellexerit quæ heic scripsit, quis enim tam expresse est omnis cognitionis, ut

B ani-

animam mundi Platonis & vim istam omnibus rebus
institam Aristotelis, unum idemque esse sibi persuaderi
patiatur. Porro: principia rerum naturalium tria asse-
ruit Plato, materiam, ideam, Deum, Aristoteles etiam
tria, materiam, formam, privationem, ergo idem docent
si numerum principiorum spectes. Sed qualis hæc est
argumentatio, qui tria diversissima principia statuunt in-
ter se consentiunt, quia tria diversissima principia sta-
tuunt. At existimat hæc principia inter se etiam con-
ciliari posse. Dicit enim, de materia inter eos nulla est
dissentio. Formam Aristotelis & ideam Platonis differ-
re concedit, interim tamen cum Aristoteles in secun-
do Physicorum libro divinam quandam formam Sta-
tuat a qua ceteræ formæ omnes oriantur, quas eadem
ipsa complectatur, non procul eam a sententia Plato-
nis absuisse putat. Sed Aristoteles ideas Platonicas im-
pugnat quod non fecisset si idem cum eo sensisset.
De tertio inquit rerum initio minime convenit Ari-
stoteli cum Platone. Nihilominus tamen conciliatio-
nem tentat, disputando an privatio sit principium pro-
prie sic dictum, id quod tandem negat, Deum autem
ab utroque pro naturæ auctore diverso tamen modo
agnosci contendit. Quantum vero hi Philosophi hæc
in re dissentiant a Jacobo Thomasio in oratione de
Platonis ideis exemplaribus, aliisque eruditis jam pri-
dem ad oculum demonstratum est.

§. VIII.

Inter recentiores Sectarum Philosophicarum condito-
res, duo inprimis nobis sese offerunt Petrus nimi-
rum Ramus & Cartesius, qui utriusque magnum in orbe
erudito exitaverunt strepitum, multosque statim nacti
sunt Sectatores & impugnatores immo etiam concilia-
tores.

zores. Quod ad primum illum attinet, notum est eum
in multis ab Aristotele secessum fecisse, quod quidem
ejus institutum vix innotuit, cum jam certatim magno
clamore, veluti hominem seditiosum, novas res molien-
tem cum aggrediebantur propugnatores Aristotelis.
Mox pacis & concordie amantes in scenam prodierunt
Ramusque cum Aristotele maxime cum Melanctone
convenire docebant; Melancton enim erat Philosophiæ
Aristotelicæ addictus. Prodierunt jam Pauli Frisii com-
parationes dialecticæ, Andreae Libavii Dialectica Philip-
po Ramea, Heizonis Buscheri Harmonia Logica Philippo
Ramea, & infinitæ aliæ. Si enim unquam de rebus nullius
momenti certatum fuit, ab Aristotelicis & Rameis sane
hoc factum est. Quamobrem Johannes Bajerus Recte
de Ramea Philosophia judicat, dum inquit at vero hæc
ipsa Rameorum a Peripateticis seu totalis seu partialis
avulsio & scissio magni momenti non est. Quod e-
nim corrigere & perficere voluerunt, quæ vel male
vel insufficienter tradita ab Aristotele sunt id bonum
sane fuit propositum. At quomodo id egerunt? Re-
rum conceptus ab ipso acceperunt mutuo & alias no-
tiunculas ipsis imposuerunt, alioque ordine pertracta-
runt & fuscus sermocinari docuerunt: quo ad cetera tan-
tum ab Aristotele discrepantes, quantum ab ovo ovum
aut a pise pifum: aliqua etiam magis atque ipse depra-
vaverunt; in filo Labyrinthi s. Cynosura & luce men-
tium universali, præf. Isag. Phanom §. 2. Gravioris
momenti fuere quæ Cartesianos inter & Aristotelicos
agitatae sunt controversiæ, difficilior etiam videbatur
conciliatio. Hæc tamen difficultas non potuit abster-
re viros alioquin eruditos Joh. de Raet, Henric. Svi-
cerum, ut & Johannem Christoph. Sturmium, quo mi-
nus

12
nus rationem pacis inter eos constituendæ invenire tenentarent. Et Sturmus quidem quamvis in Philosophia sua conciliatrice omni opera in id anniti videatur ut cum Cartesio in gratiam redire cogat Aristotelem; hactenus tamen nec Cartesianis, nec Aristotelicis persuadere potuit se serio & ex animi sui sententia ista de utriusque consensu fuisse commentatum.

§ IX.

EX allatis patere existimaverim, propagatores Syncretismi Philosophici orbi erudito nunquam defuisse. Eos rei literariæ plurimum nocuisse tuto affirmare possumus. Namque ut dissentientes in concordiam redigerent, aut utriusque aut alterutrius mentem corruperunt. Præterea in errores gravissimos ipsi se præcipitarunt, & ineptis ac falsis ratiocinationibus causæ desperatæ consulere laborarunt. Licet amoris atque concordie Studium præ se ferant hoc tamen unice ad fallendos alios esse comparatum. Syncretismum vero dum proscribimus, tolerantiam tamen amorem, atque concordie Studium commendamus. Verbis celeberrimus Budd. a Fried. Gentzkenio in historia sua Philosophica allatis opusculum hocce concludimus. *Sincere, inquit omnium Philosophorum sententia investiganda & proponenda est, sineque affectu approbanda, quæ cum veritate consentiunt; reliquæ modeste & sine acerbitate rejicienda. Ita demum & controversiis modus finisque ponetur & veritas simul triumphabit regiaque via sine impedimento ad eam contendere licebit.*

S. D. G.

